Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1776)

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 3. Februarii.

M. JOANNE BOUDIN, Doctore Medico, Præſide.

An uteri, cum ſupernis Partibus conſenſus nervorum interventu?

NIL admirari propè res eſt una, ſolaque quæ poſſit facere & ſervare beatum. Egregiam tamen corporis humani fabricam nemo eſt qui non miretur. Sed quid ex tam erudito Partium apparatu ſuperbiam captent Homines? In Belluis non minor Elegantia, ſenſus acutiores, perceptio, quæ ad vitæ commoda & felicitatem ſufficiat. Si animæ immortalitatem excipias, ipſas inter & Homines parum eſt differentiæ. Eadem ab ovo generatio. Eadem vitæ mortiſque neceſſitas. Partes corporis innumeræ. Inde prima mali labes & origo. Simplicioris etenim machina ſtructuræ, diuturnior, nec minus admiratione digna, Multiplici contexta artificio citius diſſolvitur. Hinc plerique homines in primis vitæ liminibus intereunt, pauci, quos æquus amavit juppiter, vegetâ ſenectute fruuntur, nemini-ferè datum unius ſæculi ſtadium percurrere. Vita præſertim in ſanguine eſt. Peculiari cordis & arteriarum conformatione fertur ille ad Partes perenne detrimentum reſtauraturus. Quidquid in eo ſubtilius eſt ac ut ita dicam volatilius ad cerebrum educitur. Vaſis lymphaticis, aut venarum ramulis ubique arteriarum ſociis, committitur, ſi quid eſt ſeri vel crudi relictum. Interim ſanguis tenuior factus, per exiles cerebri cerebellique glandulas profundius irrepens, tandem evadit in ſpirituum ſubſtantiam. Nervis illi tanquam flatus machina concluſi univerſas corporis partes ſubeunt. Præcipua ſunt ſenſus & motus inſtrumenta; ſenſus, dum variè ab objectis afficiuntur & undulatione quâdam ſeu fluctuatione à Partibus ad cerebrum tendunt. Motus contrà, cùm à cerebro ad Muſculos impulſi, vi quâ pollent elaſtica eorum fibrillas adimplendo coërcent & contrahunt. Hæc quæcumque nervorum interventu. Illis, partium univerſi corporis conſenſus & commercium, ſed maxima ſane uteri cum ſupernis partibus affinitas.

UTERUS pars eſt in infimo ventre poſita, generationi dicata, membranoſæ & fibroſæ ſubſtantiæ. Muſculo ferè ſimilis multiplici fibrarum apparatu gaudet, quarum arte ubi opus eſt dilatatur & contrahitur. Ejus cum ſupernis partibus conſenſum ſatis ſuperque probant hujus affectus ſymptomata quem hyſtericum dicunt. In hoc morbo, ſi quæ ſit uteri culpa, peſtiferâ mephiti velut apertâ pandoræ pixide mille calamitatibus univerſum corpus frangit & affligit, fitque generalis pœna privatum ejus ſcelus. Vide ex peculiari hujus partis vitio quot & quantæ ſupernis partibus accidant miſeriæ. Quàm ſubitò ſequantur reſpirationis difficultas, cordis palpitatio, pulſus obſcurus aut nullus, animi angor, ſpirituum torpor, triſtitia, metus, ſuſpiria, gemitus, lachrimæ, quidni dicam functionum omnium perturbatio, ita ut anima ipſa in utero poſita ſola tot malis corripi videatur. Hæc omnia ſi non ſemper ſaltem aliquando ab infeſtiſſimo uteri veneno accedere quis inficias ibit? Quamvis per ſimili ferè malorum catervâ crucientur homines in affectu melancholico, huic tamen magis obnoxiæ virgines maturæ viro, nec non juvenes feminæ vitam degentes thalami expertem, amoris poculo ebriæ atque bacchantes quibus convenit Venus, duellum dulce & etiam inexpertis tolerabile remedium. Nec ſilentio prætermittenda frequens paroxyſmorum occaſio à rerum ſua violentium odoratione, ſicut ex adverſo gtaveolentium olfactus, nec non grati odores ſubtus ſuffiti hyſtericos tumultus comprimunt, & motus circa uterum conſpicuos veluti manu miſſâ temporis momento ſedant. Unde affirmare licet quod quotidiana evincit experientia, quandoque ab uteri labe univerſam in ſupernis partibus moveri ſeditionem.

ILLE prorſus audiret almæ naturæ injurius qui ipſam muliebris ſexus novercam arbitraretur conſultâ operâ venenum morbificum intra uteri terminos incluſiſſe. Non innatum ſed à ferâ colluvie malè moratâ virus illud ſtrenuiſſimum & molis exigua fermentatione augetur, & quandoque atras pathematis hyſterici procellas in univerſo corpore concitat. Hujus ſeditionis in ſupernis partibus cauſa non vapor ut vulgus imperitum clamat, neque ut nonnullis etiam Medicis placet, aſpirationes veneficæ per occultos fungoſæ uteri ſubſtantiæ meatus aut per ambas ac laterales ejus tubas tanquam per æſtuaria ad cerebrum exhalatæ. Illis nullæ viæ ad caput conſpicuæ. Obſtat ſolida, & cuilibet etiam aëris particulæ immeabilis Diaphragmatis & aliarum partium ſubſtantia. Etiamſi per latentes & hactenus inauditas corporis noſtri ſemitas ad ſuperna evaderet aura hæc tenuiſſima, invalidior eſt ut poſſit talem in univerſâ machinâ perturbationem commovere, fruſtra exemplum attuleris cacochymarum mulierum, quæ eo tempore quo menſtruis ſordeſcunt, nitidiſſima ſpecula ſolo aſpectu contaminant, & alia hujuſmodi commenta quibus experientia refragatur. Ne etiam putes innocuo ſemper utero; copioſiſſimum ſanguinem & flatulentum cum efferveſcentiâ in vaſa pneumonica & cordis ſinus irruere, unde vocatâ in partes functionum vitalium animali facultate, ſpiritibuſque huc illuc inconſultè propulſis, omnia affectus uterini ſymptomata ſuſcitentur. Nocet hyſtericis plerumque venæ ſectio etiam in qualibet parte celebrata, nec minus hoc morbo corripiuntur picâ & malaciâ affectæ in quibus copioſi ſanguinis efferveſcentiam ſuſpicari non licet. Quidquid affert affectio illa calamitatis ſpirituum vitio melius tribuas.

SPIRITUS, Anima veluti corporea quamdiu probæ indolis, nec materiæ cujuſdam heterogeneæ particulis adulteratur, per bellè quidem fungitur ſenſus & motus officio. Vel ordinatis vicibus, vel ex voluntatis imperio ad partes fertur, vitalis pro functionibus aut animalis appellandus. Non alia habet à nervis vaſa à quibus & ipſæ muſculorum fibrillæ naſcuntur. Motum itaque partis cujuſvis ſpaſmodicum ne timeas ſpirituum vitio aſcribere. Hinc affectus hyſtericus melius convulſionis nomine deſignandus non aliam habet à ſpiritibus cauſam. Si quid humoris aciduli inter cerebri gyros & anfractus congeſti tandem in Nervorum principia emittitur, una ſecum longè deducunt & fermentatione quâdam commoti, inſtar tormentarii pulveris accenduntur ac veluti exploduntur. Inde repetas omnia uterini furoris ſymptomata quæ ſæpius inſonte utero, quieto & inconcuſſo, univerſas corporis partes cruciant, quandoque tamen circa Nervorum fines in utero, ventriculo, aut qualibet parte membranoſâ iiſdem exploſionis legibus ſuſcitantur. Nec ullam niſi popularem debet movere admirationem univerſa motus quidni dicam & ſenſus, in hujus morbi paroxyſmis perturbatio, in quibus inordinati ſpiritus cæco impetu & inconſultâ voluntate ad partes properant. Hinc primum oſcitationes exurgunt; piger ignavos alligat artus languor, feſſumque caput ſe ferre recuſat, lachrymis oculi madent, lingua exareſcit, aures intra ſe ipſas ſonant, pulſus intercapedine quâdam reſtitat. Acerbius graſſante ſpirituum culpâ, longè petulantior tumultus. Vomitu ventriculus ſubvertitur, intra præcordia miræ ac inſolitæ voces, in diaphragmate & pulmonibus diſpnæa, in cerebro mens ipſa obruitur. Inde timor, & ſilentii comes horrenda triſtitia, vel cum riſu genuino ingens verborum volubilitas ita ut à plebeculâ operum naturalium ignarâ ægræ Medico minus egere quam exorciſtâ videantur. Cuncta tamen quantumvis ſtupendâ à ſpiritibus. vehementior concuſſio & quæ ipſi machinæ ruinam minatur ſi à cerebri compage & nervorum origine ad partes feſtinat, levior ſi à partibus ad cerebrum.

PRÆDICTÆ de hyſtericis affectibus hypotheſi non minus conveniunt Medicamenta quibus profligari ſolent. Lauream obtinent illa quæ hujus texturæ ſunt ut ſpiritus inordinato motu agitatos quolibet modo compeſcere valeant. Hinc uſu acceptiſſimum urgente ceu imminente paroxyſmo graveolentia naribus admovere quorum effluviis non modo deprimitur ſpirituum exploſio ſed & morbi materia aliquatenus excutitur. Spiritus, alkalinæ volatilis naturæ, iiſdem volunt ſedari præſidiis ſi ab acidulâ ſeri colluvie contaminantur. Calculum igitur pones ſi hoc morbo laborantibus, alkalium æque ac volatilium catervam præſtiteris. Hujuſmodi ſunt Corall. Margarit. ocul. cancror. ſuccinum, caſtoreum, ſpiritus Armon. ſalis, quidni dicam & opium quod cautè quidem adhibitum in hoc affectu maximè commendatur. Interim cave ne ipſe ſtagnet ſanguis inter acidulas particulas veluti coarctatus. Boni ſucci alimentis talem confice qualis ſpirituum generationi idoneus deſideratur. Ab alimentis etenim ſanguis ſicut & à ſanguine ſpiritus propriâ cerebri configuratione elicitur, per nerveos canales ad uterum & partes corporis univerſas deducendus.

Ergo uteri, cum ſupernis partibus conſenſus, nervorum interventu.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ambroſius-Nicolaus Chemineau.
M. Andreas Enguehard, Profeſſor Regius.
M. Joſephus Thomaſſeau.
M. Ludovicus Poirier, Chirurgiæ Profeſſor.
M. Petrus Bonnet Bourdelot, Medicus Regis perpetuo ordinarius.
M. Joannes-Baptiſta-Renatus Moreau, Profeſſor Regius.
M. Renatus le Comte.
M. Franciſcus Afforty.
M. Franciſcus Pajot, Ant. Sch. Mag.

Proponebat Pariſiis DANIEL TAUVRY, Cœnomanenſis Lavalleus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.